Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25974
Copyright: Admont, Benediktinerstift

90

si dicat. Non imputetur audacie quod ago. Baptizo in aqua in penitentiam, id est in signum penitentie purgantis animas. Lavo corpora, usum baptizandi instituo, parans viam fortiori me, cuius calciamenta portare non sum dignus. Tanta est excellentia super meam parvitatem. Inter vos autem medius est quem predico, sed nescitis eum, quia eius humilitate abutimini. Ipse baptizabit in spiritu sancto et igne. Hec est purgatio et sanctificationis probatione tribulationis. Vel in spiritu sancto, id est igne quem veni mittere super terram. Spiritus sanctus per ignem intelligi(tur), qui corda incendit per amorem et illuminat per sapientiam. Sunt qui ita exponunt: In spiritu sancto in presenti, igne in futuro. Sicut enim nunc renascimur ex aqua et spiritu sancto in remissionem peccatorum, ita tunc deletis peccatis cum quibus morimur per ignem purgatorium quasi per baptisma mundabimur. Unde apostolus: Uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Evangelista Iohannes scripsit: cuius non sum dignus ut solvam eius corrigiam calciamenti, quod ad mysterium spectat. Mos apud veteres fuit ut si quis eam que sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calciamentum solveret qui iure propinquitatis eam sibi desponsaret. Christus autem sponsus ecclesie fuit, ut Iohannes ait: Qui habet sponsam sponsus est. Unde Iohannes quia Christus esse putabatur, recte se indignum esse denuntiat ad solvendum corrigiam eius calciamenti. Quasi dicat: Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi non usurpo. Vel ita: Calciamenta ex mortuis animalibus fiunt. Dominus vero quasi calciatus apparuit, pro qua carnem assumpsit. Huius incarnationis mysterium nemo umquam ad plenum investigare potuit. Corrigia calciamenti est ligatura tanti mysterii. Non valet ergo Iohannes ad plenum corrigiam solvere, quia incarnationis mysterium non sufficit investigare.

Cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum. Paleas autem comburet igni inextinguibili. Ventilabri opus est a bonis infructuosos discernere. Quod in manu dicitur, indicat arbitrium potestatis recondentis triticum, id est perfectos fructus credentium in horreis, et concremantis paleas, id est infructuosorum hominum inanitatem igne iudicii. Per ventilabrum discretio iusti examinis. Per aream vero presens ecclesia figuratur. Cuius aree purgatio et nunc geritur, cum perversi ob manifesta peccata de ecclesia eiciuntur, vel post mortem divina districtione dampnantur. Inter paleas et zizania distat, quia palee a semine puri tritici prodeunt, zizania adversa origine pereant. Per paleas significantur qui fidei mysteriis imbuuntur, sed levitate perfidie ab electis dissentiunt. Zizania illos qui opere et professione ab electis se cernunt. Hi venti

Differunt zizania: illos qui opere et professione ab electis secernunt; semine puri tritici prodeunt